





21  
1779, 9 AM

DE  
**IVRIBVS EMTORIS**  
IN  
**RE IMMOBILI EMTA**  
NEC DVM  
**IVDICIALITER RESIGNATA**

OCCASIONE LIBRI III. TIT. VI. ART. I. ET II.  
IVRIS LVBECKENSIS.

---

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVG<sup>V</sup>RALIS  
QVAM  
SVB AVSPICIIS REGIIS  
ILLVSTRI ICTORVM ORDINE CONSENTIENTE  
PRO  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
CONSEQVENDIS

DIE XXIII. AVG<sup>V</sup>STI MDCCCLXXIX.

PVLICE DEFENDET

HERMANNVS RODDE  
LVBECKENSIS

GOETTINGAE LITTERIS BARMEIERIANIS.





SPLENDIDISSIMO ATQVE AMPLISSIMO

LIBERAE SACRI ROMANI IMPERII

REIPUBLICAE LVBECENSIS

S E N A T V X

D O M I N I S

PERILLVSTRIEVVS, MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS,

AMPLISSIMIS CONSVLTISSIMIS

DN. CONSVLIBVS

DN. SYNDICIS

DN. SENATORIBVS

INTERQVE EOS

VENERANDO PATRI

AMPLISSIMI SENATORII ORDINIS SENIORI

DN. PROTONOTARIO

E T

DN. SECRETARIIS



PATRIAE PATRIBVS

FAVTORIBVS SVIS ATQVE PATRONIS INDVLGEN-

TISSIMIS BENIGNISSIMIS

HOC QVALECVNQVE STVDIORVM

SVORVM SPECIMEN INAVGVRALE OMNI QVÀ

PAR EST, REVERENTIA CONSECRAT

AVCTOR.

---

## PRO O E M I V M.

**Q**uum de specimine inaugurali elaborando cogitavi; insignis in me favor Viri summi, mihique ad cineres usque quam maxime venerandi, Viri plurimum Reverendi, Ioh. Car. Henr. Dreyeri, Capituli Lubencensis Praepositi, & Protosyndici Reipublicae Meritissimi, varia themata mihi proposuit, ex quibus praesens elegi. Quam tamen electionem cum approbatione & Viri ipsius gravissimi & Viri alius a me pari observantia parique reverentia colendi, Viri Magnifici, Georg. Henr. Büneckau, Consulis de patria mea meritissimi, cuius & insignem in me favorem nec satis praedicare queo, feci. Ipsius vero thematicis valor, eiusque adhuc fere praetermissa pertractatio causa electionis meae fuerunt.

Quodsi

Quodsi enim Bibliotheca Iuris Lubecensis, a Viro Magnifico G. H. Büneck au Lubecae 1776. edita p. 149. sqq. inspiciatur, perpauci sunt qui ad art. 1. & 2. tit. 6. lib. I. Iuris Lubecensis scripserint, nec vero ullus adest, qui Thēma meum principaliter tractaverit. An vero ego aliquantula prelo digna scripserim, iudicio benevolo virorum, qui iuvenis primos labores non severe iudicant, omni, qua decet, verecundia submitto.

Sin vero & iudices non severi multa in ordinanda & elaboranda dissertatione desiderant, ut ea variis morbis, quibus in elaborando distractus sum, itinerisque celeritati, qua Gottingam relinquere cogor, imputent, precor humillime.

---

C O N-



## CONSPECTVS.

CAPVT PRIMVM sistens principia de *dominio & resignatione judiciali*.

§. I. Introdu<sup>c</sup>ti<sup>o</sup>.

*Membrum primum de Dominio agens.*

§. II. Notio Dominii.

§. III. Divisiones Dominii omittendae.

§. IV. Divisio Dominii consideranda & quidem a) secundum Ius Romanum.

§. V. b) secundum Ius Germanicum.

§. VI. Adie<sup>c</sup>tio alius cuiusdam significatus Dominii civilis.

§. VII. De modis acquirendi Dominii, inter quos refertur resignatio judicialis.

*Membrum secundum de resignatione agens.*

§. VIII. Notio resignationis.

§. IX. Obiectum resignationis & a) res corporalis.

§. X. b) res incorporalis.

§. XI. Effectus resignationis.

§. XII. Transgressus ad sequens caput.

CAPVT SECUNDVM tractans *iura emtoris in re immobili emta, licet nondum iudicialiter resignata Praecognita.*

§. XIII. Resignationem iudicalem in pluribus aliis negotiis, ac praecipue in emtione locum habere, docetur.

§. XIV. Illustratio art. 1. & 2. tit. 6. Iuris Lubecensis.

§. XV. Comparatio textuum cum art. 3. tit. 10. lib. I, Iuris Lubecensis.

§. XVI. Limitatio huius comparationis.

§. XVII. Divisio totius capituli.

*Mem-*

*Membrum primum de iuribus intuitu rei agens.*

- §. XVIII. Valorem Contractuum iure Germanico non diminutum esse, docetur, ideoque concluditur.
- §. XIX. Et ad traditionem.
- §. XX. Et ad resignationem agi posse.
- §. XXI. Quae actio emti & in heredes transit.
- §. XXII. Ius evictionis praetationem petendi, illustratur.
- §. XXIII. Ius praelationis exponitur.

*Membrum secundum de iuribus in re ipsis agens.*

- §. XXIV. Dari dominium naturale, probatur.
- §. XXV. Transire illud in emtorem ante resignationem, probatur.
- §. XXVI. Dispositionem membra ipsius continet.
- §. XXVII. De iure utendi in genere.
- §. XXVIII. De iure locandi in specie.
- §. XXIX. De iure alienandi.
- §. XXX. De iure servitutem imponendi, agit.
- §. XXXI. Ius hypothecam constituendi emtori tribuit.
- §. XXXII. Idem ius venditori adimit.
- §. XXXIII. Docetur, dominium civile usque ad resignationem apud civitatem manere.
- §. XXXIV. Transgressus ad membrum sequens

*Membrum tertium de obligationibus emtoris quaedam adiiciens.*

- §. XXXV. De obligationibus intuitu rei.
- §. XXXVI. De obligationibus rem ipsam spectantibus agens.

**CAPUT TERTIVM** Observariones nonnullas circa usum practicum  
materiae continens.

- §. XXXVII. Usum practicum dari, generaliter observatur.
- §. XXXVIII. Specialiter, vero a) ex constitutione hypothecarum.
- §. XXXIX. b) ex concursu creditorum.
- §. XL. Cautelae esse, ut resignatio emtioni adiungetur observatur.

CA-



## CAPUT PRIMUM.

### §. I.

#### INTRODVCTIO.

**J**us illud sacrum, a cuius vigore et salus reipublicae et securitas cuiusque civis dependet, in *Jus personarum* et *Jus rerum*, quasi in duos primarios ramos dispesci, ipsumque *Jus rerum* in *Jus in re* et *Jus ad rem* dividi, nemo est, quem fugiat. Quas quidem et Jurisprudentiae tyroni notissimas iuris divisiones hoc loco adducere non erubui, quum Thema differere conatus sim, quod licet principaliter ad *Jus in re* spectet, tamen et *Jus ad rem* accidenter attingat.

A

Nec



Nec vero partes Juris in Re, quae sunt *Dominium, Hereditas, Servitus, et Pignus* hic recensere timeo, inter quas Dominium primum praecipuumque obiectum Dissertationis meae esse, ex ipsius rubro facile constat.

### MEMBRUM PRIMUM.

#### DE DOMINIO AGENS.

##### §. II.

Quamvis Dominii notio tritissima sit, tamen, ne saltum in cogitando faciam, mearum partium duxi, adaequatam completamque definitionem praetermittere. Nec vero ingenium meum iuvenile meliorem suppeditare potest, illa, quam cura Viri summe venerandi a) mihi subministrat, quaenque ita sonat: dominium denotat ius re sua solitarie utendi, deque ipsa eius substantia disponendi.

##### §. III.

Ex ipsa definitione satis appareat, me ad divisionem dominii in *publicum* seu *eminens* et *priuatum* non respexisse, quum alias definitio suo definito angustior sit. Dominium *eminens* enim

a) cf. Gener. et Perillustris Jo. HENR. CHRIST. DE SELCHOW Elem. iuris Germ. §. 558.



enim nihil aliud est, nisi ius principis, usum rerum subditis competentium in salutem reipublicae dirigendi b).

Nec vero e re mea est, divisionem dominii in *plenum* et *minus plenum*, huiusque subdivisionem in *directum* et *utile* illustrare, quum divisiones istae ex sola separatione usus rei atque dispositionis de eius substantia profiscantur c), nec ullum influxum in meditationes meas ulteriores habeant.

#### §. IV.

Adest autem divisio quaedam paucis examinanda scilicet in dominium *civile* et *naturale*; quae quidem alia est in sensu Juris *Romani*, alia in sensu Juris *Germanici*; de illa hac §. de hac vero §. seqq. brevibus agetur.

Jus Romanum distinguit dominium *civile* inter et *naturale* intuitu dotis, respectu cuius maritus dominium *civile*, uxor autem *naturale* tantum habere dicitur d). Quae qui-

b) cf. DE SELCHOW c. 1, §. 557. et BERGERI Oeconomia iuris libr. 2. tit. 1. thes. 4.

c) cf. DE SELCHOW cit. loc. §. 559. et BERGER c. 1. thes. 5.

d) cf. I. 23. C. de iure dotum 1. 30. eod. et I. 9. C. de R. V. nec minus HEINECCII Elementa iuris ciuiliis sec. ordin. I. §. 336. et BERGERI oeconomia iuris libr. 1. tit. 3. th. 10, et SAM. DE COCCEII ius controv. libr. 23. tit. 3. quaest. 6.



quidem duo dominia ita inter se differunt, ut prius actu exerceatur, posterius vero ad tempus quiescat e).

Fines mihi praescriptos transgressurus essem, si plura discriminia annotare vellem f).

### §. V.

Divisio Juris Germanici in dominium civile et naturale in eo cum distinctione Juris Romani convenit, quod ab effectu desumpta est. Dominium enim ciuale dicitur id, quod civiles effectus producit, naturale vero, quod naturales effectus comitantur g).

Differentia autem civiles inter et naturales effectus in eo posita esse mihi videtur, quod illis auctoritas magistratus inhaereat, his vero deficiat. Per effectus enim civiles intelliguntur iura, rem civiliter i. e. iure civitatis vel clarius, nomine evincere valente, possidendi, transferendi, obligandi, oppignorandi, alienandi h) et hypothecas publicas atque iudiciales constituendi i).

Per

e) cf. BERGER cit. loc. not. 18.

f) cf. COCCRII cit. loc. quaest. 6.

g) cf. Viri summe venerandi atque Perill. I. C. H. DREVERI *Einleitung zu den Lübeckischen Verordnungen*, p. 285 — 287. et A. WESTPHALEN praef. T. II. Monum. inedit. p. 20. et T. III. p. 125 seqq.

h) cf. A. WESTPHALEN l. c. p. 125.

i) cf. DREVERVS cit. l. p. 286.

Per effectus vero naturales intelliguntur iura, rem inhabitandi, aut, si locata sit, locarium exposcendi, aut locandi, nec minus hypothecas privatas et extraiudiciales constitueri).

### §. VI.

Locus est, mentionem faciendi alius cuiusdam significatus, in quo dominium civile a Doctoribus Juris Germanici sumitur. Sub dominio enim civili comprehenditur quoque dominium fundarium, quod civitati in bona immobilia civium competit <sup>1)</sup>. Quod quidem dominium nihil aliud est, nisi ius civitatis, curandi, qui sint possessores immobilium, auctoritatemque interponendi, quando domini mutentur. De origine et qualitate dominii fundarii plura differendi locus non est <sup>2)</sup>.

### §. VII.

Scimus ex iure civili, ad dominium transferendum et titulum habilem et modum acquirendi legitimum requiri.

Quos

<sup>1)</sup> cf. DREYERVS I. c. p. 125.

<sup>2)</sup> cf. A WESTPHALEN in praefat. ad T. III. monum. in editorum p. 126. seqq. et VERPOORTEN de investitura allodiorum, §. 25.

<sup>3)</sup> de iis rebus egregie commentatus est A WESTPHALEN loco cit. p. 125 — 131.



Quos quidem titulos modosque acquirendi e iure Romano proficiscentes recensere non attinet; sed annotare sufficit, quod, quos hodie habemus titulos dominii transferendi modosque acquirendi e iure peregrino et praesertim Romano petierimus *n*), ea tamen restrictione, ut in Germania pactum simplex validitatem tituli dominium transferentis accepit *o*) novusque modus dominium transferendi introducetus sit, qui dicitur Resignatio iudicialis *p*), vel investitura iudicialis *q*).

## MEMBRUM SECUNDUM. DE RESIGNATIONE AGENS.

### §. VIII.

Resignatio vel investitura iudicialis, quae latine et confirmatio *r*) et *Selandia* vocatur *s*), Germanice vero Gerichtliche Auf-

*n*) cf. Generos, DE SELCHOW l. c. §. 561.

*o*) cf. HEINECII Elem. iur. germ. §. 330.

*p*) cf. DE SELCHOW §. 551.

*q*) cf. HEINECII elem. iur. germ. §. 115. et A WESTPHALEN l. c. p. 124.

*r*) cf. DE SELCHOW §. 551.

*s*) Selandiae vocabulum pleraque resignationis synonyma deprehenduntur in saepe laudata nec unquam satis laudanda praefat. b. A WESTPHALEN ad T. III, monum. ined, p. 122.

Auflassung, Verlassung, Verzicht, dicitur *t*), est actus iudicialis, quo rem immobilem alienaturus iuri suo renunciat coram competente iudice, remque pleno iure in accipientem transfert *u*).

Quum resignatio iudicialis sit institutum plane Germanicum *x*), a me exspectari potest, ut eius originem fataque describam; sed id agens in latissimum campum exspatiatur esse, nec tamen meliora clarissimorum virorum dictis afferre possem *y*).

His igitur praetermissis transeo ad pauca quaedam de obiectis et effectibus resignationis differenda.

### §. IX.

Si naturam resignationis indagamus, bona immobilia pri-

- t*) quae aliaque synonyma vide apud MATTH. SCHLÜTERVM vom Verlassungrecht, cap. I.
- u*) Doctissima huius descriptionis explicatio inventur apud KLEINIVM in diss. sua de resignatione iudicali cap. I. §. 13—22.
- x*) Quod inter alios doctos viros solida cum eruditione ostenderunt, et Ictus olim in patria mea meritissimus b. GUIL. JOACH. WOLF in dissertatione sua inaugurali de dominio rer. immob. Trai. ad Rhen. 1741. §. 5. et celeberrimus GUIL. AMSINK in dissert. inaug. de impugnationibus resignationis, Goetting. 1775. §. 2. seqq.
- y*) Iustar omnium conferendus est G. AMSINCK l. c. §. 3.4.5.



primarium eius obiectum esse *z)* invenimus. Mobilia enim a iudiciali resignatione plane eximuntur, quia alias commercii libertas nimium circumscriberetur *a)* aliaque incommoda inde exorirentur *b)*.

Quum igitur sola immobilia resignationi iudiciali obnoxia sint; exoritur quaestio, utrum resignatio immobilia allodialia tantum an et feudalia spectet.

Quae quidem quaestio facillima responsu est.

Immobilia feudalia omnino et quam maxime resignationi iudiciali subiecta sunt; quae tamen resignatio iudicialis simul est investitura feudalis, longeque differt a resignatione vel investitura allodiorum, quum non tantum auctoritatem, verum etiam consensum magistratus, qui est iudex feudalis, vel alio nomine dominus directus, requirat.

#### S. X.

Sed non tantum res corporales, verum etiam incorporeales, ut iura e. gr. Brau- Back-Gerechtigkeiten, servitutes et hypo-

*z)* cf. KLEINIVS cap. I. §. 17. seqq. VERPOORTENIVS §. 39. MEVIUS ad ius Lubeckense, libr. 3. tit. 6. art. 1. n. 6. et celeb. AMSINCK §. 6. in fine.

*a)* cf. KLEINIVS nr. 79.

*b)* quae recenset KLEINIVS nr. 80—82.

*c)* cf. Viri summe venerandi atque Perill. G. L. BOEHMERI principia

hypothecae d), quin etiam actiones pro rebus immobilibus competentes e) resignationi iudiciali obnoxiae sunt. Verum tamen inter haec resignationis obiecta hypothecae hodie quam plurimum obveniunt; quae quidem causa est, cur in quibusdam Germaniae legibus specialibus expressas constitutiones de hypothecis iudicialiter resignandis reperiamus f).

Quae sint resignationis iudicialis formalia, non a me exponendum est, quum de resignatione non ex professo, sed incidenter tantum loquar g).

### §. XI.

Nunc supereft, ut pauca de effectibus resignationis aferam. Primus praecipuusque effectus est, ut per eam dominium civile transferatur. Resignatione enim et adscriptione peractis, accipit is in cuius favorem resignatio facta est, facul-

pia juris feudalis de anno 1775. §. 101. seqq. et KLEINIUS  
§. 115. 116.

d) vid. celeb. AMSINCK §. 10.

e) Quod KLEINIUS cap. 2. §. 39. et MEVIUS ad ius Lubecense l. 1. t. 2. art. 5. nr. 33. illustrarunt.

f) Inter statuta quae ad manum habeo sunt stat. Lauenb. P. III. art. 6. in Perill. PUFENDORFII observ. T. III. app. p. 328. et quod primo nominandum erat, ius Lubecense libr. 3. tit. 4. art. 1. resignationem hypothecarum iudicalem iniungentia.

g) Generaliter rem eleganter tractavit KLEINIUS cap. 2. nr. 134 —  
B 139.



facultatem, omnia dominii ciuilis iura §. 5. recensita exer-  
cendi h).

Nec tamen translatio domainii civilis solus effectus resi-  
gnationis est; quam quidem inter alia varia emolumenta i)  
sequitur magnum illud ius 1) praescriptionis, vi cuius is, cui  
resignata et adscripta est, intra annum et diem liberatur ab  
omnibus tertii praetensionibus, dummodo aggressor nec ab-  
fens, nec in iusta ignorantia fuerit k), 2) urgenterissimae pro-  
bationis, virtute cuius resignato per instrumenta publica pro-  
bare licet l).

### §. XII.

139. Specialiaque de Lubeca adiecit c. 1. nr. 139—142. Plura  
specialia Lubecae Rostochiique obvenientia inveniuntur apud  
celeberr. JOACH. L. STEINIUM in seiner Abhandlung der Lübe-  
schen Rechte Th. II. § 250. Mores Hamburgenses eleganter ex-  
positus celeb. AMSINCK §. 12—17.

h) de quo vid. celeb. AMSINCK §. 19. et KLEINIUS cap. 3. §. 4.

i) Quae solida cum eruditione congesit saepe laudatus KLEINIUS  
per totam cap. 3. dissertat. sua de resignatione judiciali.

k) Quod expresse ordinant ius Lubec. libr. 3. tit. 6. art. 3. et ius  
Hamburg. P. I. tit. 30. art. 3. nec minus ius Lub. libr. 5. tit. 6.  
art. 1. Ex fundamento absorbit rem KLEINIUS cap. 3. §§.  
13—19.

l) cf. hac de re MEVIUS ad J Lub. libr. 5. tit 6. art. I, n. 10. et  
KLEINIUS §. 2. et AMSINCK §. 19. nr. 3.

## §. XII.

Quamvis autem resignatio iudicialis ad translationi regum immobilium omnem vim tribuendam necessario requiratur; tamen multa adsunt iura, quae nec praevia resignatione transferuntur; quae quidem sunt, quae capite sequenti in medium proferre pro viribus conabor.

## CAPUT SECUNDUM.

TRACTANS IURA EMTORIS IN RE IMMOBILI EMTA,  
LICET NONDUM IUDICIALITER  
RESIGNATA.

## PRAECOGNITA.

## §. XIII.

Quum resignationem iudicialem in posterioribus §. antecedentis capituli oculis quasi fugitivis perlustrauimus, vidi musque eam esse novum patrumque modum dominii acquirendi, nondum ullius negotii, cui resignatio iudicialis per leges Germanicas annexa sit, mentionem fecimus.

At vero plura negotia sunt, quorum validitas a resignatione iudiciali dependet. Inter ea primum mihi consideranda venit separatio liberorum *a)*, quae ut omnem vim habeat libe-

*a)* Qua de re cf. ius Lubecense lib. 2. tit. 2<sup>o</sup>. art. 31. cuius verba ita  
B 2 sonant:



liberisque, in quorum favorem introducta est, proficia sit,  
auctoritate magistratus confirmetur, necesse est.

Deinde invenimus, *reciprocam donationem coniugum im-*  
*prolium validam tantummodo esse, si coram magistratu bo-*  
*na coniugum mutua resignentur b).*

Denique, quod praecipue nostrum interest, inveni-  
mus,

sonant: Sich Mann und Weib mit einander in der Ehe, und  
ihr eines, es sey der Mann oder die Frau, zuvor Kinder hat,  
und derselben wäre ein Ausspruch geschehen von ihrem verstorbenen  
Vaters oder Mutter wegen, welcher Ausspruch ordentlicher Weise  
für dem Rahte nicht geschehen: stirbet dann der Mann, und die  
Frau ist mit ihm nicht beerbet, und Errung sich erhöhe, ob die  
Kinder mit ihrem Ausspruch, oder die Frau mit ihrem Brautschaz  
in des Mannes Gütern soll vorgezogen werden, so geht die Frau  
mit ihrem Brautschaz vor den Kindern zuvor.

Gleicherweise soll es auch gehalten werden, wann ein Mann vor  
seinem Weibe stirbe. Ist aber der Ausspruch ordentlicherweise aus  
seinen Gütern vor dem Rath geschehen, so geht Kinder-Geld für  
Brautschaz.

Dispositio huius legis magnam dat praferentiam liberis ictis,  
quibus portio bonorum separata resignata est, p[ro]ae aliis, in-  
tuitu quorum non resignata est; quod magnum documentum  
vis resignationis in hac materia est.

b) qua de re cf. ius Lub. libr. 1. tit. 6. art. 2. qui haec verba con-  
tinet: Welcher Mann oder Frau, die da keine Kinder mit einan-  
der im Ehestand gezeugt haben, vor dem Rath treten, und ihr  
Gut gegen einander reciproce doniren und auflassen, ist dann  
die Frau bevorzugt, so ist die Uebergab kräftig von ihrem beja-  
henden erworbenen Gut ic.



mus, emtioni rerum immobilium iudicialem resignationem impositam esse c).

#### §. XIV.

Quum textus iuris Lubecensis not. c. §. antecedentis huic dissertationi quasi fontem et originem dederint; nostrum est, ut in iis paulo diutius moremur.

Verba ipsa luce meridiana clariora sunt, nisi forsitan vocabulum stehende Erbe art. 1. et 2. occurrentis d) et verbum

Rente

c) cf. ius Lub. libr. 3. tit. 6. art. 1. et 2. art. 1. Wurben liegende Gründe und stehende Erbe verkauft, so müssen dieselben vor dem Rath verlassen, und dem Käufer Jahr und Tag gewähret werden. Da aber der Verkäufer flüchtig würde, innerhalb vier Wochen nach der Verlassung; so muss das verkaufte Erbe gemelde 4 Wochen zu jedermanns Rechte still stehen, als wenn es unverkauft wäre.

Art. 2. Wenn einer liegende Gründe, stehende Erbe auch Rente verkauft, die sollen dem Käufer für den sitzenden Rath verslassen werden. Stürbe aber der Verkäufer, ehe die Verlassung in der Stadt Erbbuch geschrieben würde, so sollen doch nichts destoweniger desselben Erben dem Käufer nochmals verlassen, und zu Buch bringen lassen. Stürbe auch der Verkäufer, so soll er gleichergestalt mit seinen Erben gehalten, und sollen ihnen den Kauf Jahr und Tag gewähren. cf. quoque ius Hamb. P. 2. tit. 8. art. 6. et J. Brem. P. 2. Ordeel 4.

d) per stehende Erbe, pro quo vocabulo etiam adhibentur Erbe, stehende Gründe, intelliguntur cellae, tabernae, domus, similes que possessiones, vocabuloque liegende Gründe, sub quo comprehenduntur agri, horti, prata in contrarium ponuntur; quod testatur comparatio art. 2. et 3. tit. 10. libr. I. a. 1. et 2. tit. 6. libr.

B 3



Rente art. 2. obveniens e) aliquid alieni obscurique in se contineant.

Sensus autem apertissimus est, continetque, 1) immobilia, si venduntur, coram senatu resignari debere, 2) a venditore emtori per annum et diem evictionem rerum resignatarum praefstandam esse, quibus quaedam limitationes adiiciuntur, et quidem art. 1. si vendor intra quatuor hebdomas post resignationem fugam caperet, res immobilis vendita per quatuor alias hebdomas quali res inuenta uniuscuiusque praelectionibus pateret, art. 2. vero, si vendor moriretur, antequam resignatio in civitatis libro scripta esset, nihilo secus heredes eius emtori resignationem reiterarent, quod nec minus in casu morbis emtoris fieri deberet.

### S. XV.

Si nunc valorem textuum nostrorum ponderamus, in iis primario invenimus constitutionem de rebus immobilibus per-

libr. 3. art. 5. tit. 2. libr. I. et art. un. tit. 13. libr. 3. cf. KLEINUS cap. 2. §. 36.

- e) sub vocabulo Rente comprehendendi annuos reditus, nemo est, quem fugiat, quod autem in textu nostro anno, reditus comparari rebus immobilibus, resignari debere, mirum esse potest nisi constet, reditus annuos, quorum dies nondum cessit, fictione iuris rebus immobilibus accenserit. cf. GAIUS libr. 2. obs. 10. p. tot. MYNSINGERUS libr. I. obs 69. MEVIUS ad ius Lub. libr. tit. 2. a. 5. n. 28. et KLEINUS cap. 2. §. 38.



peracta emtione resignandis; nec vero volam neque vestigium principii illius, quod ante resignationem nullum dominium in emtorem transeat, deprehendimus.

Verumtamen legum nostrarum tacitam mentem esse, ut non eadem libera facultas sit, alienandi res immobiles emtas resignatasque, atque non resignatas ideoque non omne dominium in emtorem ante resignationem transferit, colligi potest ex comparatione earum cum art. 3. tit. 10. libr. 1. f).

In hac enim lege expresse permittitur, immobilia qualisunque generis in libro publico adscripta, quocunque modo alienare, quod nobis esse signum videtur, talem liberam facultatem disponendi de rebus immobilibus emtis, sed non resignatis, neque adscriptis non dari, ideoque lex ista illustrationi legum nostrarum maxime inservire mihi quidem videtur g).

#### §. XVI.

f) verba eius sunt: Hat ein Mann wohlgewonnen Gut, es sey liegen de Grinde, oder stehende Erbe, welches ihm in dem obersten Stadtbuch, als erlaust Gut zugeschrieben steht, der mag damit seines Gefallens gebären, nicht anders, als mit seiner fahrenden Habe; u. s. w.

g) Qua in re sententiam sequor b. WOLFI in dissert. de dominio &c. §. 6. eo tamen cum discrimine, ut mihi ex comparatione textuum nullo modo appareat, quod ante resignationem iudicialem nullum dominium in emtorem transeat.



## §. XVI.

Licet autem ambabus quasi concedamus, per resignationem dominium, ut ita dicam, plenum in emtorem transire; tamen contendere audemus, magnas dominii partes, magna iura ante resignationem emtori competere, licet ante resignationem in emtorem dominium, ut ita loquar, civile non transeat, tamen naturale transire <sup>h)</sup>.

## §. XVII.

Dum iura emtori rerum immobilium ante resignationem competentia considerare volumus, ordo naturalis iubet, ut in ipsum contractum emtionis attentionem quandam dirigamus. Quo facto, divisionem faciemus in iura et *intuitu rei*, et in *re ipsa* consideranda. Iura intuitu rei tam ex *contractu*, quam ex *traditione*, oriuntur. Ex contractu tendunt in solum venditorem ex traditione vero spectant partim ad venditorem, partim ad tertium.

Jura in re autem vel ad *rei usum* vel *substantiam* pertinent.

De

<sup>h)</sup> quam nostram sententiam auctoritate sua adiuvant Perill. DREYER in seiner Einleitung zu den Lübeckischen Verordnungen p. 284. Celeberrimus quodam KLEFECKERUS in seiner Sammlung Hamburgischer Gesetze und Verordnungen 4ter Theil p. 261, und 10ter Theil p. 549. MEVIUS ad ius Lub. libr. 3. tit. 6. art. 1. et VERPOORTEN de investitura allodiorum §. 53.

De iuribus *intuitu rei* membro primo, de iuribus *in re* membro 2do agemus, membrumque tertium de obligationibus tam *intuitu rei* quam *in rem ipsam* adiiciemus.

## MEMBRUM PRIMUM.

DE

### IURIBUS INTUITU REI AGENS.

§. XVIII.

Scimus, tantum abesse, ut doctrina de contractibus Jure Germanico angustioribus cancellis sit circumscripta, ut potius extensa esse reperiatur.

Jus enim Germanicum pactis naturam contractuum induit, ita, ut pacta nuda, quae apud Romanos tantum vim exceptionis habuerunt, apud Germanos yim actionis accepterint *i).*

Quae

*i) cf BERGERT oeon. iuris libr. I, tit. I, thesi 2. Licet autem negari queat, originetenus vim pactorum nudorum ex iure canonico venire arg. cap. I. et 3. X. de pactis, cap. I, et fin. de pactis in 6to nec minus C. 8. c. 2. q. I. et c. 66. c. 12. q. I.: tamen haec iuris canonici auctoritas non sufficit, nisi moribus Germanicis fuerit confirmata. cf. COCCERI ius controv. libr. 2. tit. 14, quaest. 10.*

C



Quae quum ita sint, nec instituta Germanica contractibus ipsis ullo modo nocere posse, facile est intellectu.

Quapropter ut contractus emtionis venditionis in omni suo vigore maneat, licet iudicialis resignatio nondum accesserit, necesse est *k*).

#### §. XIX.

Quodsi vero contractus E. V. omnem suam vim retinet, emtori, obligationibus suis impletis, id est, aut pretio soluto, aut fide de pretio, consentiente venditore, praestita, actione emti adversus venditorem agere licet *l*).

Neque huic actioni opponi potest exceptio nondum factae resignationis *m*), neque venditori, pretio reddendo, a contractu resilire licet *n*), sed sicuti emtor suae obligationi pretio vel solvendo vel offerendo, vel fide de pretio praestanda satisfecit, ita et vendor contractum a sua parte, re tradenda implere obligatus est *o*).

#### §. XX.

*k*) quod et KLEINIUS, qui alias resignationi vim, quam 'potest, maximam tribuit, diffiteri nequit cap. 2. §. 143. cf. etiam AMSINCK §. 7., nec minus WOLF §. 12.

*l*) cf. BERGER libr. 3. tit 5. thes. 15. n. 1.

*m*) ut docet MEVIUS ad J. L. libr. 3. tit. 6. art. 1. addit. 1.

*n*) cf. KLEIN c. 2. §. 144. et VERPOORTEN §. 53., nec minus AMSINCK §. 7.

*o*) cf. WESENBECIUS ad ff. de actionibus emti venditi, n. 16,



## §. XX.

Sed quemadmodum emtor actione emti traditionem petere potest, ita et ei eadem actione statim resignationem petere licet *p*). Nec ullum dubium est, quin eadem actione, qua secundum ius Romanum impletio contractus peti potuerit, secundum ius Germanicum, quod actiones contractuum iuris plerasque retinuit, aliquid, quod licet non ad essentialia, tamen ad solennia contractus adiectum est, peti possit.

Quod quum ita sit, perfecto contractu vendor ad rem resignandam actione emti cogi potest.

## §. XXI.

Neque vero huic actioni emti tam ad tradendam, quam ad resignandam rem immobilem emtam, heredes se subtrahere possunt, quum iure Germanico aequa ac Romano haeredes in omnes defuncti obligationes succedant *q*). Quocirca nec heredibus prodest exceptio omissae solennitatis aut alio nomine, non factae resignationis, si traditio rei petatur, nec exceptio incompetentis actionis, si resignatio petatur *r*), sed

ad

*p*) cf. KLEINIUS cap. I, n. 57. et cap. 3, n. 145. et M<sup>E</sup>VIUS ad ius Lub. a. I. tit. 6. libr. 3.

*q*) cf. Gen. DE SELCHOW elem. iur. germ. §. 652.

*r*) cf. M<sup>E</sup>VIUS a. J. Lub. libr. 3. tit. 6. art. I, add. I.



ad traditionem vel resignationem morte antecessoris impeditam peragendam obligati sunt <sup>1)</sup>.

### §. XXII.

Intuitu rei autem emtori non tantum competit iura ex contractu in venditorem heredesque proficiscentia, verum etiam ex traditione oriuntur iura tam venditorem, quam tertium spectantia.

In venditorem enim ei competit ius, *evictionis praestationem* petendi, quum rem titulo oneroso acceperit <sup>2)</sup>, nec materia de evictionis praestatione iure Germanico abrogata fit <sup>3)</sup>.

### §. XXIII.

Intuitu *tertii* vero competit emtori, re emta atque tradita

<sup>1)</sup> cf. KLEINIUS cap. 2. §. 42. Licet hoc loco proprie sermo sit de obligatione heredum, resignationem inchoatam perficiendi in fine art. 2. tit. 6. libr. 3. Juris Lubecensis contenta; tamen ad obligationem heredum in genere, defuncti obligationes praestandi, extendendum est.

<sup>2)</sup> cf. l. II. § 2. de act. emt. l. 1. C. de rer. permut. l. 4. C. de evict. et duplæ stipul. l. 14. C. fam. hereif. l. 33. l. de transact. l. 9. l. 33. locat. cf. quoque I. H. BÖHMERI introductio in ius dígetti. libr. 21. tit. 2. et BERGERI oeconomia iuris libr. 3. tit. 8. thef. 5.

<sup>3)</sup> cf. A. VERPOORTEN de invest. allod. §. 53. qui, quum emtori ante resignationem pauca iura concedit, tamen ius evictionis praestationem petendi tribuit, eumque in finem adducit locum iuris Saxonici, scilicet Sächsisch Landrecht libr. 1. art. 9.



dita, ius quoddam *praelationis*, vi cuius priori emtori, cui res tamen non tradita est, praefertur, quum constet, eum, cui priori res tradita est, in detinendo esse potiorem, quoties aliqua res duobus in solidum vendita est x).

Quae quidem sunt iura emtori intuitu rei competentia, quae praeliminari quasi modo annotare et ordo naturalis mihi fusat, et loci rationes permiserunt.

Nunc pergamus ad ipsa iura in re competentia explicanda.

### MEMBRUM SECUNDUM.

#### DE JURIBUS IN RE IPSA IMMOBILI, NECDUM JUDICIALITER RESIGNATA COMPETENTIBUS.

§. XXIV.

Quando iura emtori in re immobili emta, licet nondum judicialiter resignata explicare volumus, necesse est, ut de fundamento iurium istorum, quod est transitio dominii naturalis, aliqua differamus. Quocirca primum ostendamus, dari dominium naturale, et deinde probemus, transire illud dominium naturale in emtorem.

Verum

x) cf. I. 15. C. de rei vindicatione. Plura de hac re apud WOLFIUM §. 19, inveniuntur.

C 3



Verum enim vero dari dominium naturale, sequentes rationes mihi suadent.

Ratio prima posita est in ipsa rerum natura.

Maxima enim iniustitia esse mihi videtur, si emtor, licet pretium solverit, remque ipsam acceperit, nulla tamen dominii iura idcirco acquirat, quia resignatio iudicialis nondum accesserit, e contrario autem vendor pretii dominus simul esse debeat. Neque tamen emtorem, deficiente resignatione iudicali, plenum dominium consequi posse, in aprico est.


Dari igitur discrimen dominium civile inter et naturale, ex ipsa rerum natura sequi mihi videtur.

Rationem secundam mihi praebet analogia iuris Romani, quod inter dominium civile et naturale distinguit, marito civile tribuit, uxori vero naturale conservat a).

Rationem tertiam suppeditare mihi videtur tacita agnitione iuris Germanici differentiae cuiusdam dominium naturale inter et civile, quum nulla lex reperiatur, quae iudicialem resignationem terminum constituat, a quo dominium primo transferatur b) ex altera autem parte detur lex, quae facul-

a) cf. verba l. 30. C. de iure dotium: *quam eadem res et ab initio uxor is fuerint, et naturaliter in eius permanferint dominio.*

b) quod egregie illustrat Perill. DREYERUS in seiner Eiuleit, zu den Qüs.



facultatem, de rebus immobilibus emitis nec resignatis tacite  
restrinat, quum plenam tribuat facultatem, de rebus im-  
mobilibus emitis ac resignatis disponendi c).

Rationem denique tam et quidem gravissimam mili  
praebet auctoritas doctissimorum virorum d), qui distinctio-  
nem inter dominium civile et naturale in sensu iuris Germa-  
nici, uti §. 6. ostensum est, assumserunt.

### §. XXV.

Quum paucis ostenderimus, dari dominium naturale;  
breviter etiam exponendum est, transire illud in emtorem  
ante resignationem.

Ima ratio mihi ea esse videtur, quod, ubi effectus de-  
prehenduntur ibi et causa adsit, necesse est. Atqui emtor  
ante resignationem gaudet effectibus dominii naturalis, ergo  
et

Lübeckischen Verordnungen, pag. 285. deducitque, frustra art. 6.  
libr. I. Juris Saxonici in vicem legis Germanicae resignationem  
terminum translati dominii constituentis citari, quum he-  
redes a venditione defuncti implenda non propterea liberentur,  
quia resignatio nondum accesserit, sed quia ipse in venditionem  
bonorum hereditiariorum non consenserint; qui tamen consen-  
sus iure Saxonico necessarius sit. A WETPHALEN in praefa-  
tione ad Tom. 3tium monum. inedit. p. 124. seqq.

c) quae quidem lex est art. 3. tit. 10. libr. I. J. Lub. §. 15. illustrata,  
KLEFEKER in Sammlung Hamburgischer Gesetze und Verorda-  
nungen IVter Theil p. 261. und 10ter Theil p. 549.

d) MEVIUS ad libr. 3. tit. 6. art. 1. J. Lubecensis,



et dominio naturali ipso gaudere debet. Ecquis autem est, qui non pro effectibus dominii naturalis habeat, quod emtor, peracta consummataque emtione, licet resignatio iudicialis nondum accesserit, rei possessionem tamen acquirere eamque inhabitare vel locare, ac privatim vel extra judicialiter hypothecas constituere possit *e*).

*Illa* ratio mihi ea videtur esse, quod perfecta emtio, cui iudicalis resignatio nondum accesserit plane foret inutilis, nisi naturale saltem dominium in emtorem transiret.

Emtor enim a sua parte, pretium solvendo vel fidem de pretio praestando, legem contractus quum implevisset, nec tamen finem eius, qui est acquisitio dominii, consequeretur?

Quod aequo durum foret atque illud, quod venditor rem alienare possit, simulque in dominio retineat *f*).

Cuius quidem rei duritiem quum Doctores, partem venditoris pro aris ac focis sustinentes senserint, eo recurrerunt, ut sicuti secundum ius Romanum in emtorem ante traditionem commoda atque incommoda transeant, ita secundum ius

*e*) A VERPOORTEN de invest. allod. §. 53. Instar omnium conf. DREYERUS l. c. pag. 285.

*f*) dominium venditoris nostro iure perfecta emtione cessare, illustravit Perill. DREYER l. c. p. 286.



ius Germanicum ante resignationem commoda et incommoda in emtorem transfire contendent, ullumque vero dominium transfire negaverint g).

Nos vero lubenter concedimus, commoda et incommoda ante resignationem in emtorem transfire h) verumtamen affirmare cogimus, aliquid pluris in emtorem transfire, quum commoda tantum in acquisitione accessionum veluti per alluvia vel alias modos i), aut fructuum pendentium perceptione k), incommoda vero in susceptione periculi rei emtiae tanquam specialiter debitae l), aut solutione tributorum respectu fructuum pendentium m), non autem in iure, domum inhabitandi locandique, aut in obligatione ad onera ordinaria vel extraordinaria praestanda consistant.

Id vero, quod plus transitione commodorum et incommodo-

g) hanc sententiam proponit WOLF de domin. rer. immob. §. 10.  
cf. quoque KLEINIUS cap. 2. n. 146.

h) cf. §. 3. J. de emt. et vend. l. 7. §. 8. ff. de peric. et commod. rei venditiae l. pen. et fin. C. eodem.

i) cf. arg. l. 7. pr. ff. de peric. et commod. rei vend. et l. 13. §. 13. ff. de act. E. V.

k) arg. l. 13. §. 10. ff. de act. E. V.

l) arg. §. 3. J. de emt. vend.

m) arg. l. 2. c. de annon. et tribut.



modorum in emtore invenimus, nihil aliud est, nisi transitio  
dominii naturalis.

Ratio 3tia denique ea esse mihi videtur, quod, licet  
verum sit, iure Romano ante traditionem commodum et in-  
commodum tantum in emtorem, non vero dominium natu-  
rale transfire, id tamen dici nequeat secundum ius Germani-  
cum intuitu resignationis judicialis, cui traditio extraudi-  
cialis praecessit. Magni enim interest, an modus dominii  
acquirendi adsit, nec ne. Ante traditionem nullus dominii  
transferendi modus aderat, ideoque nullum dominium trans-  
ferri poterat. Existente autem traditione et modus acqui-  
rendi existit, ideoque dominium, licet non civile, tamen  
naturale transfertur, quod dominium naturale, accidente  
resignatione judiciali in civile quasi mutatur atque iungitur<sup>n)</sup>.

### §. XXVI.

Posteaquam vidimus, et dari dominium naturale, et  
transfere in emtorem ante resignationem judicialem; iura ipsa  
ex dominio isto naturali emtori competente profluentia con-  
siderare, nostrum est.

Quum

<sup>n)</sup> quae sententia est b. A WESTPHALEN in praef, ad Tom. III,  
monum, ined. p. 133.

Quum dominium, uti ex §. 2. constat, duplici facultate constet, scilicet facultate re utendi, deque eius substantia disponendi, iura nobis obvenientia spectabunt, vel *usum* vel *substantiam* rei. Usum rei potest esse vel *proprius*, vel *aliis concessus*, ideoque iura attentionem nostram desiderantia, spectabunt vel ad usum proprium vel concessum.

Quod substantiam rei vero attinet, potest spectari vel *in tantum*, vel *pro parte*. Ex primo respectu considerandum nobis veniet *ius quocunque modo rem in alium transferendi*, ex secundo respectu vero est, *ius tam pignus constituendi quam servitatem imponendi*.

### §. XXVII.

Initium faciemus de iuribus usum rei spectantibus extinendis.

Potest igitur quis rem emtam traditamque in quaecunque usum suum convertere, quod nec ulla explicazione indiget, quum Juris Naturae sit, domino licere, re sua quoquo modo et qua optima ratione uti frui. Neque vero ullum dubium est, quominus emtor et aliis usum rei tam gratis quam pro mercede concedere, id est, locare possit o).

### §. XXVIII.

o) de quibus emtoris iuribus vid. instar omnium Perill, DREYERUS  
l. cit. p. 286.

D 2



## §. XXVIII.

Quum vero extra omnem dubitationem positum sit,  
emtori locationem rei emtae traditae, licet nondum resignatae,  
licere; nec dubium remanere debet, quin et emtori  
competat ius, locarium a conductoribus, sua voluntate in re  
emta manentibus, petendi. Attamen super hac re notabili-  
lis exorta lis est, cuius casus sequens fuit.

Emit quidam nomine Reinbold, die 28. Jun. 1774.,  
domum quandam, cui domus minores adhaerebant, et qui-  
dem ea conditione, ut ei domus in libro publico non prius  
adscribatur, quam venditori cautionem de pretio solvendo  
praestiterit. Cui quidem contractui adiecta est lex commis-  
soria, vi cuius venditori, si emtor cautionem memoratam  
non a diem St. Michaelis eiusdem anni praestiterit, a con-  
tractu resilire liceat; qui tamen terminus postea usque ad  
diem Paschatis anni 1776. prorogatus est. Interea tempore  
contractus conductoribus minorum domuum notificatum est,  
domus venditas esse, eosque ratione locarii cum emtore rem  
habere. Inter hos vero conductores fuit unus nomine  
Timm, qui quum novo possessori mercedem anni et sex men-  
sium debebat, actione locati mense Februarii anni 1776.  
conventus est, ad locarium debitum solvendum. Cui tamen  
quam maxime fundatae actioni reus opposuit exceptionem  
non



non competentis actions, et quidem ex capite nondum factae  
resignationis. Nec vero a magistratu inferiori incompetens  
exceptio attenta; sed sententia condemnatoria lata est, quae  
quidem sententia, quum ad amplissimum Senatum appellata  
tum fuerit, ad relationem Perilluistris DREYERI p) confir-  
mata est q).

§. XXIX.

Juribus *usum* rei spectantibus consideratis et *iura substantiam* contingentia consideranda veniunt.

Inter haec primum fere offert ius, rem emtam licet  
non

p) quae relatio ex speciali gratia summe venerandi Auctoris mecum  
communicata est, ouisque ratione decidendi in usum meum  
plus una vice convertendi, occasionem habui.

q) sententia amplissimi Senatus haec est: Auf Suppliciren Davib  
Limm, Beklagten, modo Supplicantis, an einem, wider Franz  
Thomas Reinbold, nunc desselben curatores honorum, Klägere,  
modo Supplicaten, an andern Theile, puncto rückständiger  
Saal-Miete, modo deferendaes appellationis, wider das am 20.  
Jul. a. p. bey dem Nieder-Gerichte eröffnete Judicatum, ertheilet  
E. Hochw. Rath zum Bescheid, daß der Appellation, wegen Uners  
heblichkeit der gravaminum, nicht zu deferiren, sondern nur ge-  
dachtes Judicatum zu bestätigen, und die Sache in solcher Maße  
wiederum an das Nieder-Gericht zu verweisen sey. Ita decretum  
in Senatu, d. 5. Mart. 1777.



non resignatam quounque modo in aliud transferendi, ideoque quolibet titulo vel singulari vel universalis alienandi r). Hos vero titulos omnes tam universales quam particulares recensendi, locus non est; fini nostro sufficit, si in unica venditione subsistamus. Quum emtor, modo vendor ius reale i. e. dominium naturale in re emta nunc vendenda habet; id in novum emtorem omnino transferre potest, secundum regulam notissimam; quidquid iuris habeo, in aliud transferre queo s).

### §. XXX.

Alterum ius rei substantiam, sed tamen non totam, modo partem substantiae spectans mihi quidem videtur esse, ius servitutem imponendi tam realem quam personalem. Quum enim domino licet servitutem praedio suo imponere t) emtor autem sit dominus, licet modo naturalis, nullam

video

- r) Quanquam Perillustris DREYERUS in toties adducto loco de hoc iure alienandi non expresse loquitur, tamen per verba pag. 285. der Einleitung &c. memorata, er geniesst sogleich, ohne Verlaßung, die Wirkungen des Eigenthums, et hoc ius annotare mihi videtur, quum alienatio pro praecipuo effectu dominii habenda sit.
- s) valde dissentit WOLFIUS l. c. §. 17. et quum emtori nil nisi ius personale ex emtione, resignatione non confirmata concedat, nec nisi translationem iuris potest concedere,
- t) cf. I. H. BOEHMERI introductio in ius digest. libr. 8. tit. I. §. 5.



video rationem, qua ius, servitutem imponendi, restringatur *u*). In Saxonia vero, ubi et ad servitutem imponendam iudicialis resignatio requiritur *x*) ex ipsa rerum natura fluit, non nisi dominum civilem, cui ipsi dominii acquisitio resignatione confirmata est *y*) servitutem posse imponere.

S. XXXI.

Tertium ius ad substantiam rei et quidem partem substantiae pertinens est ius oppignorationis.

Quodsi emtori ante resignationem iudiciale ius, hypothecam constituendi vindicamus; intelligimus id de facultate, hypothecam privatam vel extraiudiciale constituendi. Eundem vero nec publice nec iudicialiter hypothecam constitutere posse, non mirum est, quem resignatione deficiente, civitas emtioni eius nondum sigillum quasi impresserit, ideoque ad confirmandas vel potius resignandas *z*) hypothecas

aucto-

*u*) Quod vero et de hoc iure servitutem imponendi l. c. p. 285. Per illustris DREVERUS fileat, non mirum est, quem non omnes ac singulos effectus dominii naturalis recensere sibi proposuerit.

*x*) cf. BERGERI oeconomia iuriis libr. 2. tit. 3 thes. 1. not. 2.

*y*) cf. A WESTPHALEN in praefat. ad Tom. III. monum. inedit. p. 133.

*z*) cf. ius Lub. libr. 3. tit. 4. art. 1. ceteraque statuta §. 10. capititis primi huius disert. adducta.



auctoritatem suam interponere recusat. Quin autem emtor hypothecam privatam vel extrajudicialem constituere possit; nullum mihi esse dubium videtur. Scimus enim ex Jure Romano essentiam hypothecae esse, ut creditori securitatem praestet. Quapropter nonnunquam debitori permisum est, rem alienam obligare, modo dominus consentiat *a)*, obligatio fiat conditionata *b)*, ius aliquod in illa re adsit *c)*, aut denique postea dominus fiat *d)*. Quodsi autem res aliena sub certis conditionibus hypothecae possit dari; quanto magis res propria, iusto titulo iustoque modo acquisita, cuius evictio praestanda est, potest obligari? Quae quidem causa est, cur et viri maxima auctoritatis *e)*, emtori ius illud privatam hypothecam constituendi vindicarint. Nec vero me fugit, alios doctores *esse qui emtori ius oppignorationis*

*pla-*

*a) L. 20. pr. L. 27. ff. de pignor. actione.*

*b) arg. l. 16. §. 7. ff. de pign.*

*c) arg. l. 3. §. 1. ff. qui potiores in pign. sunt.*

*d) arg. l. 41. ff. de pign. act. et l. 22. ff. de pign. et hypoth.*

*e) qui sunt Perillustris DREVERUS in seiner Einleitung zu den Lübeckl. Verordn. p. 125., et JOH. HENR. BERGERVS in dissert. de utilitate usucap. in probando domin. Lipfiae 1710. §. 11. nec minus G. FRANZKIUS in variis resolut. libr. 2. quaest. 12. et quidem in particulari additione, directa ad BEN. CARPOVII decisionem 127., in qua emtori ius oppignorationis negatur.*



plane denegarint f), sed non mirum est, quin, quum emtori non ullum dominium concedant, nec ullos dominii effectus ideoque nec ius hypothecam constituendi velint concedere.

§. XXXII.

Quum §. antec. ostendimus, peracta emtione, licet non subsecuta resignatione, emtori ius privatam extraudi- cialemque hypothecam constituendi, affirmare cogimur, idem ius, hypothecam constituendi, venditori nullo modo competere, quum duo in eadem re validam hypothecam constituere nequeant. Nec vero venditor ius, constituendi hypothecam, amplius habet, quum, re vendita atque tra- dita, dominus esse cessaverit g).

§. XXXIII.

Exoritur quaestio quaedam, scilicet, quum usque ad-  
huc emtori dominium naturale, tantum competere affirma-  
verimus, simulque venditori omne dominium eripuerimus,  
ubi demum illud dominium, quod nominavimus civile, de-

pre-

f) quales sunt KLEINIUS cap. 3. §. 10. WOLFIUS §. 14. et  
VERPCORTEN §. 53.

g) Quod tamen negat WOLFIUS §. 12., quum semel affirmaverit,  
venditori omne dominium remanere.



prehendatur. Ad hanc quaestionem ita respondemus, ut dominium illud civile peracta emtione transeat in civitatem apud quam dominium, quod dicitur, fundarium residet, ibique usque ad resignationem iudiciale remaneat *h).*

#### §. XXXIV.

Juribus, quae dantur emtori in re ipsa, quoque consideratis, locus datur, pauca de obligationibus, quae semper iura comitantur, ideoque nec nostrae materiae desunt, differendi. Quae quidem obligationes et *intuitu rei* et *rem ipsam spectantes*, possunt cogitari.

### MEMBRUM TERTIUM. DE OBLIGATIONIBUS EMTORIS.

#### §. XXXV.

Emtor primum obligatus est, venditori, uti Jure Romanico<sup>i)</sup> ita Germanico, aut pretium solvere, aut securitatem de pretio praestare, nec antea traditionem, ideoque, nec resignationem petere potest. Jure enim ei exceptio non dum impleti contractus opponitur.

Deinde

*h)* quod luculentissime ostendit A WESTPHALEN c. I. p. 125 — 131. cui iungatur DREYERUS I. c. p. 126.

*i)* arg. l. 13. §. 8. ff. de act. E. V.



Deinde, si quis rem evincere velit, emtor obligatus est auctori suo, qui est venditor, evictionem praesentem denunciare, ut veniat atque assistat *k*).

Tertio vero, qui priora gravioraque iura habet, eaque rite deducit, rem cedere obligatus est, ut creditoribus, quibus res hypothecae data erat. Quin autem emtori in venditorem detur regressus, nullum est dubium. Ad pretium enim solutum reddendum emtori in venditorem competit vel condicō sine causa *l*) vel ipsa actio emti *m*) iuncta petitio ad interesse praefrandum.

#### S. XXXVI.

Obligationibus, quae emtori respectu rei incumbunt, consideratis superest ut in obligationes rem ipsam concorrentes oculos dirigamus.

Quarum quidem prima est, ut emtor omnia onera tam ordinaria, quam extraordinaria subeat *n*), cuius rei causam non

*k*) cf. l. 29. §. 2. ff. et l. 9. l. 21. et 23. C. de evictionibus &c.

*l*) arg. l. 11. §. 6. ff. de act. emt. vend.

*m*) l. c. §. 9.

*n*) cf. Perill. DREYERUS l. cit. p. 285., cum quo et WOLFIUS §. 10., et KLEINIUS cap. 2. n. 146., nec minus VERPOORTENIUS §. 53. consentiunt, licet ex diversis principiis.



non in principio Juris Romani, *in quem transeunt commoda, in eum et incommoda o)*, sed in transitione dominii naturalis p) fundari, §. 25. pluribus ostensum est. Quapropter hoc loco repetimus, obligationem emtoris ad onera praestanda probationi pro transitione dominii naturalis maxime inferire.

Altera obligatio emtoris est, ut omne damnum periculumque suscipiat.

Huius autem obligationis fundamentum non esse principium q), res perit, cui debetur, sed illud, res perit cui propria est r) §. 25. iam fusius expositum est, ideoque nil nobis adiiciendum restat, quam quod et periculi suscepitio transitionem dominii quam maxime probare nobis videatur s).

o) uti WOLFIUS ceterique viri loc. adduct. opinantur,

p) uti DREYERUS loc. cit. exponit.

q) arg. §. 3. ff. de emt. vend.

r) arg. l. 23. in fin. ff. de Reg. iur.

s) Cuius rei auctor suasorque nobis est Perill. DREYERUS l. cit. p. 285.

CAPUT



## CAPUT TERTIUM.

OBSERVATIONES QUASDAM AD USUM PRACTICUM  
MATERIAE SPECTANTES CONTINENS.

### §. XXXVII.

Quum per nostras huc usque propositas meditationes in primis ostendere studuerimus, dari dominium naturale, quod in emtorem ante resignationem transeat: forsan quis est, qui quaerat, an materia pertractata obiectum sit, de quo Doctores tantum disputent, an etiam in praxi ventiletur. Huic quaestioni satisfacimus ipsis, dummodo ad casum §. 28. adductum nos referimus, ex quo satis superque apparet, in foro respici ad dominium naturale, atque sententiam de eius transitione in emtorem rerum immobilium nondum resignatarum ferri. Attamen nostrarum partium esse duximus, hoc loco quosdam alios casus recensere, ex quibus usus practicus materiae eluceat.

### §. XXXVIII.

Primum casum ex hypothecarum constitutione §. 31. et 32. iam proposita desumimus. Fingamus igitur, perfecta emtione, licet non subsequuta resignatione, et venditorem et emtorem hypothecam eandem constituere. Quaeritur, quaenam valeat, alterique praeseratur. Quum §. 31. osten-

E 3

de-



derimus, emtori dominio naturali gaudenti ius, constitueri hypothecam, competere; idem hoc ius vero venditori, nullo dominio gaudenti denegaverimus; praetermissis rationibus, quibus validitas hypothecae ab emtore constitutae demonstretur, observamus. Lubeca atque in urbibus Holsteticis, ubi Jus Lubecense valet, nec minus in foris, in quibus secundum Jus Saxonum sententiae feruntur, privatas hypothecas pro validis declarari a).

#### §. XXXIX.

Alterum casum offert concursus creditorum, quum scilicet post perfectam emtionem, sed ante resignationem iudicialem tam vendor quam emtor bonis cesserint, iam vero quaeratur, utrum creditores vendoris rem venditam iure dominii ad massam bonorum trahere possint, an coacti sint, creditoribus emtoris resignare. Postremum fieri debere, ideoque dominium non apud venditorem remansisse, nec ipsi Doctores nostrae sententiae adversantes diffiteri possunt b).

#### §. XXXX.

a) quod teneo ex relatione, quae super validitate privatuarum emtoris hypothecarum habita est, ex benevolentia summe venerandi atque Perillustris DREYERI mecum communicata.

b) instar omnium cf. WOLFIUS §. 16, et 18., quamvis id non pro eff. etu amissi dominii habere velit. Quod tamen omnino esse, annotat KLEEFER in seiner Sammlung Hamb. Gesetze und Verordnungen IV. Theil pag. 261, Note n).

## §. XXXX.

Licet igitur verum sit, et in praxi receptum, a venditore perfecta emtione, licet nondum secuta resignatione dominum abire, et naturale dominium in emtorem transire; tamen iurisprudentiae cautelaris est, emtioni resignationem statim annexere *c*), quia hoc modo multae lites praecaventur, et plura ac graviora iura in emtorem transferuntur *d*).

## T A N T U M.

*c*) ut admonet KLEFEKER l. cit. IVter Theil p. 261.

*d*) quod nec diffitetur Perillustr. DREYERUS l. cit, pag. 286. et A. WESTPHALEN l. c, p. 133.



## THESES.

THESES.

1. *Absens in foro contractus conveniri potest.*
2. *Legitima liberis et parentibus relinquenda est titulo institutionis.*
3. *Hereditatis petitio est actio mixta.*
4. *Si factus possessor litis aëstimationem solverit, verus possessor liberatur.*
5. *Mala fides superveniens tollit actionem publicianam.*
6. *Commodatarins tenetur ad culpam levissimam.*
7. *Sponsae tacitum pignus competit in bonis sponsi.*
8. *Tutela non est Juris Naturae, sed civilis.*
9. *Furtum cum sola ascensione coniunctum non est capitale.*
10. *Principi Jus Detraetius per totum territorium competit, nisi per pacta sit aliter provisum.*



VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
HERMANNO RODDE

S. P. D.

CASPARUS A LINGEN, Opp.

*Vinculum illud amicitiae dulcissimum, quod nos per tres  
fere annos in gremio Almae Augustae coniunxit, quid  
quaeso! aliud postulat, quam ut honores qui pro Tuis  
meritis Tibi nunc conferuntur, gratularer, quaeque  
mihi exinde provenit laetitia publice testarer.*

*En Optime! non potuit fieri quin justa haec stu-  
diorum praemia Tibi tribuerentur, cum Juris scientiis  
indefessa Te semper diligentia dicasti. Specimen quod*

F

ex-

*exhibuisti id satis ubique demonstrat, documentumque  
publicum est, quam ampla Tibi sit rei litterariae cognitio.*

*Quod reliquum est, nihil magis in votis habeo,  
quam ut Summum Numen Te et in posterum salvum ser-  
vare velit. I, quo Te Tua rapit virtus, et quo Te ex-  
spectant largi honores. Vale Amicorum Optime! et eo,  
quo hactenus me prosequutus es amore me semper amplecti  
perge.*

*Dabam Goettingae d. XXIII. Aug. cIcLXXIX.*





Göttingen, Diss., 1779

ULB Halle  
008 563 705

3



4018



21  
1779, 9 AM


# DE IVRIBVS EMTORIS IN RE IMMOBILI EMTA NEC DVM IVDICIALITER RESIGNATA

OCCASIONE LIBRI III. TIT. VI. ART. I. ET II.  
IVRIS LVBECKENSIS.

---

## DISSERTATIO IN AVGVRALIS

x-rite colorchecker CLASSIC



A M  
CIIS REGIIS  
RDINE CONSENTIENTE  
RO  
E IVRE HONORIBVS  
VENDIS  
VSTI MDCCCLXXIX.  
DEFENDET  
VS RODDE  
ENSIS.  
RIS BARMEIERIANIS.

